

rum sedebat et indumentum eius sicut nix candidum et
capillus capitis eius sicut lana munda, thronus eius
75 flamma exurens ignis, rotae eius ignis. Fluvius igneus
currebat ante ipsum. Iudicium constituit et libri aperti
sunt. » Et paulo post : « Et vidi, inquit, in visu noctis et
ecce cum nubibus caeli, sicut filius hominis veniebat et
usque ad vetustum dierum pervenit et in conspectu
80 eius oblatus est ei et ipsi datus est principatus et honor
et regnum, et omnes populi, tribus, linguae ipsi servient,
et potestas eius potestas aeterna, quae non transibit
et regnum eius non corrumpetur. Inhorruit spiritus
meus, ego Daniel, et in habitudine mea, et visiones capi-
85 tis mei conturbabant me ; cum ergo haec agi coeperint,
pandentur sine dubio caeli portae, immo potius ipsum
caelum auferetur e medio tanquam si tabernaculi ali-
cuius velamina colligantur, scilicet ut reparetur et trans-
formetur in melius. Tunc ergo omnia metus habebit
90 timorque ac tremor implebit universa, tunc etiam ipsos
angelos formido quassabit et non solum angelos sed for-
tassis et archangelos et thronos et dominationes et prin-
cipatus et potestates. Hoc enim indicat in eo quod dicit :
« Et virtutes caelorum movebuntur. » Conservi enim sunt
95 eorum qui iudicandi sunt et vitae huius posituri rationem.

13. Si enim apud iudices saeculi cum civitas una iudi-
canda est, pavent ceterae et contremiscunt, etiam si
nihil periculi metuunt, quanto magis cum orbis terrae
universus ad iudicium veniet, iudicandus ab eo iudice qui